~~16000~~
Uf. 4276.
Biblioteka Jagiellońska
stdr0017569
Uf 4276 a-f

XVI.

J. C. A.

Livonia
Livonorum
veterum naturam, Rempublicam, atque ritus exponet,

PRAESIDE

M. HERMANNO Becker
Lemsalia prope Rigam Livono,

RESPONDENTE

JOHANNE WILHELMO BEATOR,
Vitembergensi Saxone,

Ad constitutum diem 19. Junii,
Anno Christi 1700.

VITEMBERGAE,
Typis MARTINI SCHULZI, Acad. Typogr.

1306993

Prooemium.

CUm antiquitatis notitia ad accuratiorem historiae recentioris cognitionem multum faciat, & haec ex illa mirum in modum illustretur atque adjuvetur, mihi stat sententia *Livonos veteres* in eruditorum lucem producere, quo deinceps eo melius & commodius de *Livonis recentioribus* agere, & nonnihil literis mandare possim. Omnia haec a me pro viribus, quantum subsidia & ingenii imbecillitas permittunt, proponuntur, non hac mente, ut inanem seculi, sed Sanctissimi & summi Numinis gloriam quaerere connitar. Quare non dubito, quin ope DEI suffultus, manum operi admoveam. Ut autem Lector benevolus rerum ordinem habeat, tria iterum capita constituere lubet, quorum primum *Livonorum veterum* naturam, alterum eorum Rempublicam, tertium denique populi hujus ritus proponet & explicabit.

Cap. I. De Livonorum veterum natura.

§. 1.

PRius ad rem ipsam qvam me accingam, hoc principio monitum volo, me non agere de *Livonis Germanis*, qui terram Livonicam non modo seculo abhinc duodecimo detexerunt, sed etiam eandem bellis diuturnis, durisque gestis, sanguine suo in suam paulatim potestatem redegerunt, sed de *Livonis*, quos vocamus, *Rusticis*, speciatim sic dictis, sive, ut

unico verbo dicam, de *Lettis*. Quod ad horum attinet naturam, sciendum, eos esse homines pertinaces & durae cervicis, corpore firmo, & laborum patientes. Neque est, cur quis id miretur, duro enim admodum adolescentiae initio *Lettii* utuntur, & cibis vilissimis, iisque ad digerendum difficillimis vescuntur. Tritum illud sermone proverbium apprime in illos convenit: *natura paucis est contenta*. Saepe ipse in maximam admirationem raptus sum, quoties eos comedentes oculis meis vidi. Si qua natio unquam fuit, quae vilioribus escis se adsueverit, profecto nostri sunt *Lettii*. Quamvis optimum frum tum olim habuerint, & hodienum habeant, adhibent ta n p nem valde nigrum, pistum, sive, coctum dimidiam no nun uam ob inopiam frumenti partem ex palea & frumento, eundemque in aquam quandoque intinctum, vel, quod plus una vice in urbe principe *Riga* non sine animi commotione animadverti, in cadis halecum, cum venditores eo oculos suos non convertunt, frustum panis furtim quasi madefactum, tanto cum appetitu in stomachum suum immittunt. Et hunc panem nigrum, optimi alias odoris & virtutis, si ex solo frumento est coctus, Semneck Maise/ hoc est, panem rusticorum nominant. Panem contra primarium & candidum, Watzes Maise/ id est, panem *Germanorum* ex linguae suae genio appellare consueverunt.

§. 2. Inter alia optimum *Lettiorum* antiquis temporibus ferculum fuit, triticum, sive, siligo integra nec molita cocta, quod illi lacte, vel cannabis semine condiverunt, quale ferculi genus porcis alias saginatis porrigitur. Hujusmodi ferculum in conviviis suis, quae inter se celebrarunt, magna cum pompa apposuerunt, eoque se adeo delectarunt, ac si genere cibi optimo & apparatu splendido uterentur, quod ipsimet & hodie narrare non dubitant. Et quum in *Livonia* aeque ac in *Curonia* varia pecorum, volatilium, ferarum, pisciumque genera reperian-

perian-

periantur, iisdem ciborum loco uti coeperunt. Quoniam vero nullam aromatum notitiam habuerunt, vel plane iisdem, quod omnino veritati consentaneum videtur, caruerunt, eos cibos suos alica, pisis, fabis, lacteque ex parte, hujus autem si esset penuria, cannabis semine condivisse atque praeparasse fama accepimus. Et hoc illorum condimentum fuisse apud scriptores fide dignos legimus. *Vid. Einborn. in hist. Lett. p. m. 35.* Huc confer quae Hennenberger de *Prussis* annotavit: „Die gar alte Preussen/ so vor den Cimbris in diesem Lande gewesen sind/ die sein gar ein starckes/ grobes/ und unverständiges Volck gewesen/ so weder von GOtt noch Schrifften/ noch von bürgerlichen Sitten gewust haben/ roht von Angesicht/ und harrechtig/ wie *Helmondus* sagt/ und als *alb.* Krantz *lib. 2. Vandaliae c. 18.* bezeuget. Wusten nicht von nützlicher Speise/ dañ als die Samen ein Legation auf die Balga schickten/ da ahen sie die Ordens-Brüder Salat/ Kohl/ Knoblauch/ und Petersilien essen/ solches sagten sie zu Hauß mit grosser verwunderung nach/ wie sie die Ordens-Brüder hätten sehen Graß essen/ wie die Pferde/ derhalben sie sich leichtlich in den Welden erhalten könten/ und zu besorgen/ sie würden mit den Orden derhalben die länge nicht kriegen mögen. Doch haben sie Fleisch gessen/ *Helmondus p. 4. seq.* Auch wusten sie von guten Geträncke nicht/ sondern truncken Wasser/ Molcken/ und Kobel-Milch/ und auch Blut/ und suffen es/ daß sie gleichsahm als Voll wurden: Doch truncken sie die Milch nicht eher/ dann biß sie zuvorn geheiliget wurde.

§. 3. Quod ad feras attinet, eas laqueis atque retibus ceperunt *Lettii*. Sclopetorum enim usus iis nondum innotuerat, isque demum a *Germanis* ad illos pervenit. Potum eorum fuisse cerevisiam, ex vario frumentorum genere, exempli gratia, ex tritico, hordeo, avena, fagoque, aut si hujus non esset copia

ex

ex ſigiline coctam, ferunt. Nec illud eſt omittendum, eos tempore verno, betulis fluentib9, aquam harum arborum magna de induſtria vaſis impoſuiſſe, potusq; loco ea uti fuiſſe ſolitos. Quem potum ſaccharo maloq; citreo ſaepe permixtum, ipſi *Germani* in *Livonia* & in *Curlandia* tempore aeſtivo ad ſitim reſtinguendam etiamnum uſurpant. Vocant hunc potum Germani Birck Waſſer. Eſt hic potus ſuavis odoris, & ad bibendum ſatis aptus, omnesque nervos ſpiritusque mirum in modum reficit, atq; excitat. Sed a Germanis ad Lettios. Praeparant ſibi *Lettii* hodieque potum ex aqua atque frumento, vel, farina, & ſiliqua, & hoc crebro, cereviſia autem parce utuntur. Praeterea *Lettii noſtri* potum ex Sylveſtribus malis, quibus inſuper per hyemem, quando poma haec vieta fuerunt, veſci conſueverunt, ſibi vulgo confecerunt. Et hunc ritum *Germani* nonnulli hodienum retinent & obſervant. *Livoni* autem *antiqui* alia poma non habuerunt, praeter ſylveſtria mala, nucesque avellanas. Sic enim de iis ſcribit *Einhornius*. Sonſt haben die Letten keinerley Obſt im Lande gehabt/„ als die wilden Holtz=Aepffel/ Haſelnüſſe/ Faulbeere/ Kli„tzen oder Ebiſchbeere (hie im Lande heiſſet man ſie Pielbee„re) dieſelben haben ſie häuffig aufgeſammlet/ verwahret„ und im Winter gegeſſen. De pomariis, aut plantatis pomis, nihil quicquam ſciverunt, vel compertum habuerunt, ſed harum plantandarum artem *a Germanis* demum temporis progreſſu didicerunt. Quo fit, ut ad hodiernum usque diem poma & pyra, *Germanorum poma* vocent, poma contra ſylveſtria Semmes Abolus / hoc eſt, terrae ſuae poma nominent, quae apud eos extiterunt, prius quam *Livonia* & *Curonia* in ditionem *Martiae Gentis* venirent. Haec *Gens Martia*, *Germanos* intelligo, multiplices olerum herbarumque ſpecies in univerſam *Livoniam* introduxit, iisdemque illam locupletavit. Quod omnino ipſis *Lettiis* fatendum eſt. Nec eſt, ut quis

hoc

hoc de argumento dubitet, res enim omnis ſua veritate lucet ſatis & liquet, nulla in *Livonia* ante *Germanorum* adventum pyra vel poma fuiſſe inventa, aut ejusmodi olera herbasque, quae hodie ibi conſpiciuntur, creviſſe. Quod inde affirmare licet, quia *Lettii* nullam his oleribus pomisque imponere nomen poſſunt, ſed iisdem, quibus *Germani*, nominibus & appellationibus utuntur, prout omnes, qui Livonicarum rerum ſunt probe periti, facile mecum ſentient & judicabunt.

§. 4. Et hinc non eſt mirandum, qui factum ſit, ut *Livonos pervetuſtos* medicinae uſus fugerit, nec medicinam adhibuerint, neque ea indiguerint, quia ſani valentesque fuerunt, & raro in morbum inciderunt, quod merito ſimplicitati victus eſt attribuendum. Quod ſi vero morbis afficerentur, ſingulares ſibi mulieres elegerunt, quae aegrotos in balneum ductos ibique curatos priſtinae ſanitati reſtituerunt. In quibus balneis dubio procul multas ſuperſtitiones, atque praeſtigias intercesſiſſe, conjectu haud eſt difficile. Et hunc ſanandi ritum in *Livonia* ipſimet, quod dolendum eſt, nonnulli *Germani*, *Lettiique* hodierni retinent, atque exercent. Memini ipſe, me puerum ſemel atque iterum a mulierculis in balneis lotum, ex earum ore varias preces, quas tacite ſecum recitabant, ut eas capere, & intelligere non poſſem, ſaepe audiviſſe. Ejusmodi autem mulierculas, quae tales ſanandi, & medendi formulas addiſcunt, niſi eas aliis feminis enuncient, & revelent, hora mortis imminente, graviter cruciari & difficulter animam efflare, in patria mea a multis teſtibus oculatis percepi

§ 5. Ceterum ſi quis *Lettiorum* indolem penitius noſſe deſiderat, eam eſſe duram, pertinacem atque effrenatam ſupra jam commemoravi. Ab ineunte ſtatim pueritia duriter educantur, cibis duris nutriuntur, ut quoslibet aſperos labores deinceps eo melius perferre, & graviſſima opera perficere queant. Et hinc videmus,

eos

eos a pueris, tempestate quacunque suboriente, in campo apud pecudes, & in agris multas calamitates subire, molestiasque perferre, domi autem in fumo cubare atque dormire. Habent enim aedificia, quae intus calefiunt, maximumque inde incommodum sentiunt. Dura eorum natura praeterea ex eo cognoscitur, quod *Germanus* absque summa admiratione haud intuetur, quod frigidissimo hyemis tempore, ex balneo calidissimo, in quo se laverunt, scopisque, quod scoparum genus in balneis apud ipsos quoque Germanos in usu est, se propemodum verberarunt & vehementer castigarunt, venientes se in frigidam praecipitent, ex eaque se in hypocausta sua conferant. Quod sane *Germanus* in *Livonia* licet natus, absque vitae discrimine facere non audebit. *Lettios* vero illud praestare, vix quis crediderit, nisi oculis suis usurpasset. Unde hoc oriatur, si quis interrogaverit? hoc habebit responsum, quod ab utero confestim materno duriter habeantur, atque acerbe tractentur. Simul ac namque in hanc lucem veniant, duro admodum vitae genere gaudent, nec delicate educantur, sed in frigore summo, geluque vitam ducere coguntur, & infinita propemodum mala perpeti tenentur. Huc omnino illud pertinet: *a teneris adsuescere multum est*. Quare res admiratione non est digna, *Lettios* acerbissimum frigus perferre. Cum ipse nonnullis abhinc annis in patria mea versarer, *Lettiorum* liberos vel in maximo algore nudos in campis, viisque incedere, & *Lettios* ipsos in urbe *Riga* tempore itidem hyberno pectore nudato circumire saepius animadverti. De *Spartanis Alexander ab Alexandro lib. 2. Genial. dier. p.* „*476. c. 25. scribit.* Spartanos Lycurgi legibus institutos, infan„tes primum editos, ut labore firmentur, rigidissima aqua „fovere, nudosque in patientia laboris enutrire, nihilque so„mni causa sternere proditum est: nec non, cibi potionisque „modo praefinito, humili cultu educare, duraque & horrida disciplina

disciplina assuefacere, illis magnae curae fuit. Quare pro„verbium increbuit, solas Lacaenas viros parere. Quod a „Cretensibus & Germanis usurpatum fuit, ut pueri ab ineun„te adolescentia calores & frigora pati assuescerent, utque vi„libus tecti amiculis, hyeme pariter atque aestu eodem cultu „incederent, & in laboriosis exercitationibus, currendo, al„gendo, aestuando, famem sitimque tolerando, arduasque, „& perdifficiles vias peragrando, exercerent. Horum ve„stigiis nostri *Lettii* propemodum insistunt.

§. 6. Paucis agendum quoque est de *Lettiorum* vitiis. Virtutibus satis raris elucent *Lettii* nostri, vitiorum vero omni propemodum genere sunt obruti, atque abundant. A prima illico infantia, quod *Germani* ex ipsa quotidiana experientia satis superque testari possunt, ad quaevis vitiorum genera, ac si ad ea nati essent, sunt proni, ad eaque natura inclinant. Nullum fere vitium commemorari potest, cui non sint dediti, labeque illius depravati & contaminati. Mendacia dicere, fraudulenter agere & decipere, furari, calliditati studere ad quaevis flagitia committenda, contumeliam, convitia, superbiam, fastum, hypocrysin, aliis cumprimis Germanis praesentibus, humanitatem & humilitatem prae se ferre, re autem ipsa fraudes, astutias machinari, & meram falsitatem exercere, hoc est *Lettiorum* proprium. Ut primum terga vertunt, *Germanos* praesertim ignominia aspergere, maculam quandam iisdem inurere, de iisque contemtim dicere, & male existimare, eosque opprobrio & omni dedecori exponere, & sui similibus deridendos propinare optime norunt, ita ut, si quis *Germanorum* haec audiat, non tam miretur, quam eorum misericordia capiatur. Est adhuc pessimum vitium, cui *Lettii* nostri mirum in modum indulgent, quodque vitium in illis domicilium suum quasi fixit. Homines enim saepe invicem instigant, atque concitant, famae eorum detrahunt, omnia mala excogitant, calumniantur, ex re parvi momenti

 maxi-

maximam efficiunt, nullum profecto ad alium finem, ut experientia docet, quam ut causam aliis inter se obtrectandi, manumque conferendi, praebeant. Unde accidit, ut non modo maximae rixae & altercationes, atque contentiones suboriantur, sed etiam interdum sanguis profundatur. Et quando inter se contendunt, cultris, fustibus, lapidibus, securibus, falcibusque, si adsunt, utuntur. Quamvis Dominis suis maximas poenas dent, illarum tamen nullam rationem habent, suamque perversam, & indomitam naturam sequuntur. Sunt hi *Lettii* a capite ad calcem corrupti, atque fraudulenti. In servitiis Domino praestandis sunt ὀφθαλμόδουλοι, & ex animo minimum operis faciunt, quam diu curatores habent, sedulo laborant, statim ut hi abeunt & terga paulisper dant, labores remittunt, & in omnibus ex indole sua praevaricantur. Paucis ut me expediam, nullam ferme gentem esse adeo furto deditam, quam Letticam quotidie comperimus. Quantae fraudi studeant in mercibus, quas ad forum convehunt, vendendis, illud *Germani* suo cum damno haud raro experiuntur. Mirandum profecto ejusmodi crimina a christianis, qui ex verbo divino melius informantur, audiri atque committi, cum tamen homines a vera religione alieni ex lumine naturae multo honestiorem vitam agant. Neque de *Germanis*, antequam sacris initiarentur, ejusmodi vitium auditum vel proditum fuit. Quinimo, *Scythas* gentem omnium pessimam, atque maxime rudem fuisse, maximamque tyrannidem exercuisse inter omnes constat, neque tamen huic se vitio dedisse uspiam egimus. Quare judicare quivis facile potest, qualis sit *Lettiorum* indoles ac natura. Dicendum quoque nonnihil esset de eorum superstitionibus, quibus hodienum clam ob poenarum metum indulgent, sed ob chartae hujus angustias illud dissertatione alia praestabo.

§. 7. Operae pretium fore existimo, ut hic afferam, quae „*Einhornius* habet. Inter omnes homines, qui in spatiosissimo hoc orbe terrarum vixerunt, tres istae gentes pro pessimis„ habitae sunt: *Cappadoces, Cilices, Cretes*, ob naturam & indo-„ lem pessimam, mores turpissimos, & scelera detestanda,„ quibus praeditae & aggravatae fuerunt. *Cappadoces* bipedum„ pessimi existimati sunt, & natura adeo pessima praediti, ut,„ nonnulli putaverint, sanguinem illorum adeo venenatum„ esse, ut si vipera mala *Cappadocem* apprehendisset, ipsam in-„ terire, quod sanguinem venenosum gustasset: quod ipsum hoc disticho indicare voluerunt:

Καππαδόκην ποτ᾽ ἔχιδνα κακὴ δάκει, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ
Κάτθανε γευσαμένη αἵματος ἰοβόλου

Cilices crudelissimi fuerunt, quod ipsum proverbium hoc„ indicat, κιλίκιος ὄλεθρος, id est, Cilicium exitium, hoc est, cru-„ dele & immane. *Suidas* referente *Joachimo Vadiano in Polyhist*.„ *Solini c, 57. Conf. Suidas p. 499.*

Cretensibus peculiare fuisse mendacium, e versiculo, quem„ in Epistola ad *Titum Cap. I. v. 12.* ex *Epimenide* Poeta citat Apo-„ stolus, constat:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί

Et ex *Ovidii versiculo Lib. I.* de arte amandi

Non hoc, quae centum sustinet urbes,
Quamvis sit mendax Creta, negare potest.

Trium harum gentium pessimarum naturam & mores„ pessimos, olim proverbio hoc, quasi aenigmate notare vo-„ luerunt veteres: τρία καππα κάκιστα. Quamvis *Augustinus lib. 3.*„ *de Gram. referente Vadiano in Solin. c. 57. fol. m. 179.* de tribus Cor-„ neliis, tanquam humani generis pestibus, & bipedum ne-„ quissimis, Cornelio Sylla, C. Cinna, & C. Lentulo, id dictum„ putet.

Inter has gentes & nostros *Curetes*, sive, *Curonos* recte referri,„ & illos quartum vere Cappa proverbiale constituere puto.„ Unde versiculo proverbiali veteri hic etiam superaddi,„ merito potest.

Καππαδόκες, κίλικες, κρῆτες, τρία κάππα κάκιστα
Κούρωνοι δὲ κακοὶ, τέτρατον τόγε κάππα κάκιστον.

 Cap-

Cappadoces, Cilices, Cretes, tria peſſima Cappa,
Curoni faciunt, quartum gens peſſima Cappa.

„Sunt enim non minus moribus peſſimis praediti, & ſuper-
„ſtitionibus, furto, mendaciis, diris & execrationibus inaudi-
„tis fere deditisſimi. Et ut paucis multa complectar, eſt gens
„fraudulenta, effera, rapax, ſuperba, elata, intemperans, in-
„juſta, iniqua, impia, levis, inconſtans, contumelioſa, ſpurca
„& libidinoſa. Quod ipſum affirmat et *Alexander Guagninus in deſcript. Sarmat. Europ. f. 75. bis* verbis: Quamvis miſera gens fuerit, ſupra modum tamen eſt callida, fallax, tumida, atrox & ad caedes perpetrandas prompta. Miratus ſum ſaepisſime, qui fiat, quod in lingua ſua exprimere vel nominare non poſſint *Conſcientiam* & *Virtutem:* quamvis enim quis noctes diesque ſeſe maceraverit, haec tamen duo nomina recte & proprie exprimere vel reddere non poterit. Verum ſi probe vitam illorum hominum quis conſideraverit, illos nimirum absque *Conſcientia* & *Virtute* vivere, vel *Conſcientia* & *Virtute* deſtitutos eſſe, mirari deſinet. Qua enim ratione *Conſcientia* & *Virtus* apud gentem aliquam nomen obtinebit, apud quam nullam obtinet ſedem. Haec *Einhornius.*

§. 8. Ne vero quis arbitretur, *Lettios* noſtros omnium corruptisſimos nihil quicquam boni habere, unum alterumque laudis argumentum afferre placet. Ordior a ſacris. Laudem omnino multi *Lettiorum* merentur, quod Verbum DEI tanti faciant, tantique aeſtiment, ut, quod ſaepe oculis meis uſurpavi, duo, tria, imo & quatuor aut plura nonnunquam milliaria ſuſcipiant, ad divinum & ſalutare verbum avide audiendum. Et hoc verbum tanto in pretio habent, ut, ſi quid fide affirmare velint, dicant, tam hoc eſt verum, quam verbum Domini veritate ſua innititur. Quando ſermones in templo habentur, magna cum diligentia & religione animi maximam partem iis interſunt, & oratione ſacra finita, & Miniſtro Eccleſiae ex ſede ſacra deſcendente, voce una in haec

haec verba erumpunt: agimus gratias, agimus gratias pro verbo DEI, quod jam audivimus, ex Te, *gratioſe & dilecte Eccleſiae Domine!* quo nomine Paſtorem, ſive, Sacerdotem aedis ſacrae ex linguae ſuae genio honorare ſolent. Num vero ejusmodi honoris & amoris verba ex animo ſemper faciant, meum non eſt judicare. Judicet, qui in intima cordis viſcera introſpicit, & omnia quam accuratisſime novit. Saepe, ut veritati locum tribuam, cum ſermonibus ſacris adfuerim, *Lettios* mentione Diaboli, qui impios tormentis aeternis affecturus eſt, facta extimeſcere & his verbis exclamare: *eſto nobis propitius DEUS,* auribus meis percepi. Nec illud oblivioni tradendum, eos ex templo egreſſos invicem admonere ſe officii & verbi auditi, vitaeque emendationem anxie ſibimet apprecari. Qui illorum externam religionis diſciplinam intuetur, judicium haud iniquum feret. Laudandi quoque noſtri *Lettii*, quod *Germanos*, quando eos inviſunt, omni honoris cultu excipiant, illosque muneribus, exempli gratia, lino, ovis, aliisque donis ornatos dimittant. Et quando Germani ex urbe quadam, aut alio ex loco venientes *Lettiorum* hoſpitio utuntur, ab illis bene habentur & pro virili tractantur. Nummos a *Germanis* iter facientibus adeo non deſiderant, herbam autem nicotianam & ſalem nummis anteponunt, anxie expetunt atque rogant. Unde haud raro, quando ex urbe rus profectus ſum, *Lettios* mihi in via obvios, non potui non mirari, cum primum verbum poſt conſuetam ſalutationem ex eorum ore audiverim, kungs gir tau Taback / tho milo Dewu dawin / hoc eſt, Domine habesne herbam nicotianam, charum DEI donum, ubi reſpondi, eſt mihi, illico partem hujus herbae, quam edere vel fumigare omnes & ſinguli, ipſae quoque feminae ſolent, exorarunt & mihi pro dono hoc exiguo hoſpitia ſua obtulerunt. Quod ſi vero dicerem, non eſt mihi herba nicotiana, triſti ſatis facie me intuentes dixerunt, te ex urbe absque hac herba venire, majorem in modum

dum miramur. Sunt insuper *Lettii* nostri officiosi, observantes & obsequiosi. Ubi *Germani* eos sibi familiares reddunt, ab iisque sive pisces, sive feras, vel anseres, vel gallinas, vel hujus aut alius generis quid efflagitant, pro exigua pecunia, aut quandoque pro quadam nicotianae parte, vel uno alteroque cerevisiae haustu afferre non pigrantur. Atque, si a *Germanis* honorifice tractantur, tanto sibi hoc ducunt honori, ut non modo eos domi & foris laudibus efferant, sed iisdem nescio quid muneri mittant, sed omnem quoque *Germanis* honorem habeant. Expertus & illud fui, ut, si a via regia tempore nocturno proficiscendo aberraverim, *Lettios* sic ad servitia promptos offenderim, ut unus alterque, lecto licet jam teneretur, & requieti se daret, surrexerit, duxque mihi fuerit in ipsis tenebris praeeundo, & equum manu ducendo, pro quadam nicotianae parte, gratiis etiam pro ea actis. Haec & reliqua ad *Lettiorum* laudem omnino spectant atque pertinent. De reliquis, alia, si DEUS ita voluerit, occasione.

Cap. II. De Republica Livonorum Veterum.

§. I.

EQuidem variarum Gentium a pio veri DEI cultu olim remotarum Rempublicam, sive regimen, proponere hic & considerare possem, sed chartae ut parcam, illico de *Livonorum veterum* Republica paucis agere lubet. Utor tamen brevi quodam quasi prooemio. Ecquem fugit, homines non christianos, ut idola *rectius* & conservarentur, & colerentur, sacerdotes suos constituisse, qui non tantum sacra peragerent, & sacrificarent, sed praeterea munere doctorum fungerentur. Similiter atque certum ab iis regnandi ordinem, qui plebi aliisque praeesset, fuisse delectum atque constitutum ecquis negaverit. In lege divina, quam populo suo tulerat Numen sanctissimum & supremum, statum hierarchicum & politicum fuisse distinctum docemur & admonemur. Pari etiam modo homines a DEo uno & trino alieni, diversos status condiderunt ac sanxerunt. Alios namque idolis more consueto sacrificium fecisse, aliis potestatem in populum, sive, plebem commissam, scriptores fide digni commemorant. Quod ad populum DEI in foedere veteri, sive Judaeos, aut, Hebraeos attinet, illos Aristocratiam sub Mose, Josua, atque deinceps sub judicibus ad Regem usque Saulum, sub ipsis vero Regibus Monarchiam, sive, regnum viguisse, sacrae literae hinc inde indicant. Utrumque hunc regiminis ritum, cumprimis Monarchiae observarunt homines non Christiani, quod in praecipuis gentibus videlicet in Assyriis, Medis, Persis, Graecis atque tandem in Romanis videre licet, qui singuli Regibus usi sunt, eorumque legibus diutissime paruerunt. Neque tamen vel Aristocratia, vel Monarchia ad *Lettios* applicari possunt. Quemadmodum enim nullos sacerdotes, qui sacra celebrarent, habuerunt, pariter quoque nullum magistratum constituerunt, sed absque legibus & constitutionibus populi instar rudis, barbari atque insipientis, vitam minime honestam egerunt.

§. 2. Sunt quidem nonnulli Chronologi & Historici, qui Principis cujusdam Livonici, cui nomen fuit *Cobbe*, meminerunt. Hunc *Funccius in Chronolog. lib. 10. fol. 118.* Principem Livoniae vocat. Num vero se gesserit, prout reliqui Principes & dominatores se exhibuerunt, atque terrae bono regimine, & justitia, quam DEus administrari serio demandavit, praefuerit, & succedendi jus reliquerit, de hoc argumento certi nihil quicquam proditum est. Ferunt praeterea nonnulli, in *Curonia* singularem quendam regem fuisse, quomodo autem regnaverit, & utrum regnum electitium fuerit, an haereditarium, qualive regendi modo usus, ad hunc usque diem investigari non potuit. Et haec est causa, quamobrem sentiam cum *Einhornio*, quod *Curoni*, si quis inter eos apparuit, quem regis nomine salutarunt, eundem contra *Germanos*, terra *Livonica* ab iis occupata, elegerint, ut illos contra *Germanorum* impetum tueretur terraeque salutem procuraret. Quod inde affirmare licet, quia *Lettii* & *Curetes* in lingua sua nomen Regis, reginae, principis, vel alius cujusdam rectoris ignorant, sed nominum horum initia repetunt a vocabulis Germanicis. Cum vero nomina haec illis non innotuerint, officia regis & principis similiter defuisse conjectura quivis assequi potest. Quare eos inter se gentis barbarae & rudis instar, & de republica non instructae, vitae curriculum confecisse vero est simile. Atque quoniam nullam librorum, doctrinarum, legumque cognitionem habuerunt, ad legem naturae, quae unicuique dictitat, honeste esse vivendum, neminem laedendum, suum cuique tribuendum, se componere debuerunt.

§. 3 Ceterum sub initium latronum vestigiis institerunt, atque armis destituti aliis, arcus & sagittas adhibuerunt, quo se iis adversus hostes defenderent, terramque suam in potestate sua retinerent. His armis, *Germanis*, quum in *Livoniam* pervenissent, fortiter obviam iverunt, eosque interficere conati sunt, sed primo statim incursu superati,

& cum

& cum exigua saepe manu victi, atque fugati sunt. Quamvis autem interdum ab iis cladem acceperint *Germani*, illud tamen temerario quodam ausu accidit. Inexercitatorum enim fere est proprium, ut audacter & absque ulla ratione quaevis aggrediantur, sed semetipsos summo vitae periculo exponant atque sic pereant.

Cap III. De Livonorum Veterum ritibus.

§. 1.

PRimum rituum argumentum ducere lubet ab agricultura. Agriculturam, vetustissimum esse instrumentum, quo homines a multis inde seculis se aluerunt, vitamque conservarunt, nemo facile inficias ibit. Quae causa fuit, quod *Aristoteles* agriculturam modum acquirendi naturalem nominaverit, ut legimus *lib 1. Oeconom. Cap.2.* Hoc primo aeque ac naturali medio, ut vocant, *Livoni veteres* itidem usi sunt, & agricultura se suosqve nutriverunt ac sustentarunt. Ubi vero silvas densissimas, qvae magno hodienum numero consitae reperiuntur viderunt, atque adeo agris se destitutos animadverterunt, quilibet eorum de sylvis caedendis, quo in iis arare, seminare, atque hac ratione sibi agros acquirere posset, cupide elaboravit. Cum itaq; hoc opus fuerit molestum non minus quam difficile, factum hinc est, ut quivis ejusmodi agros & prata, sudore suo sibi comparata, in perpetua possessione tenuerit. Hic *Lettiorum* agros adipiscendi & possidendi ritus modusque olim fuit.

§. 2. Quo ipso fit, ut ad hodiernum usque diem agros & prata, a domiciliis suis nimis remota habeant nonnulli, quae tamen ad eos pertinent. Neque illa peregrinus quis sibi assumit, etiamsi ante illius fores quasi jaceant, sed possessori suo legitimo relinquit & permittit. Hujusmodi autem agros, prata atque domicilia, pecora similiter & quicquid possederunt, prout reliquae gentes liberis posterisque suis, qui illa omnia jure haereditatis acceperunt, reliquerunt atque tradiderunt.

§. 3. Circa ipsum tradendi ritum hoc est observandum, bona, quae moveri non poterant, in junioris filii possessionem pervenisse. Hic illorum haeres fuit, hac ex ratione, quia post parentum ex hac vita abitum natu minimus, censebatur & habebatur. Cum itaque bonis immobilibus propter teneram aetatem parum adhuc usus esset, illi jure haereditatis tradebantur, ut eis deinceps firma possessione frueretur, atque sic ad eundem pertinebant Natu contra majores, quoniam patre adhuc vivo ex ejusmodi bonis educati atque sustentati, prae natu minimo paternis bonis meliori cum commodo usi fruitique erant, hisce acquiescere, atque adeo laribus patriis valedicere & alio se conferre cogebantur. Hoc *Lettiorum* fuit jus, hic illorum fuit ritus, ad quae e accommodarunt, quibusque vitam suam duxerunt.

§. 4. Superest, ut paucis Lettiorum ritus de feris capiendis enarrem. Quod ad feras spectat, quae cum majores, tum minores, magno & fere immenso numero apud eos reperiebantur, & hodie, quod experientia docet, reperiuntur, quilibet pro lubitu eas capere, retinere, iisque frui potuit, quocunque loco ei lubuit. In hoc enim argumento innitebantur, quemadmodum nemo mortalium feras educavit, cibavit, vel aluit; sic neminem prae aliis in illas jus habere dictitabant, quamvis ante fores alicujus caperentur aut configerentur. De aliis ritibus peculiari dissertatione, si DEUS volet, viresque concedet, agam. Jam charta me monet, ut subsistam, & ita exclamem:

Soli DEO sit Gloria!

Hist. Russ.
6, provinc.
Livoniae